



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

V. Iuventus scholastica à Calvinistis seducta.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

Dignius Professor Academicus, Philippus Veronius Episcopalis sedis procurator, Albertus Babionus, & Ioannes Veronius, Pictavienses. Præcipua vero tum Caluino, ut diximus, disputatio fuit de real præsentia corporis Christi in Sacramento. Hic enim lapis ille est offendiculi, ab ipso tam ad Catholicos quam Lutheranos supplantandos obiectus. Tætöpete vero disputatio eius præsentibus placuit, ut ea quæ dixisset, scripto consignata sibi tradiderentur. Quod ille non grauate fecit. Post hæc pauci illi in locis secretis & speluncis, & per pagos etiam & villas frequenter conuenerunt: quibus mox accessit Ioannes de Boisseau Bordorius, causarum patronus; & alius quidam Vortumianus appellatus. Tandem etiam Carolus Lesagus scilicet huic nomen dedit. Ex his tamen Bordorius, homo valde doctus, XL annis post Calvinismo repudiaro, in Catholica religione vitam elausit, quum LXXX ætatis annum pæne attigisset. In locis illis secretis prima Calvinistica Cœna celebrata fuit, quam Manducationem postea appellauerunt, ut sequenti libro ostendâ. Exhortatione prius à Caluino factâ (sic enim coitiones suas initio nominabant) & implorato diuini Spiritus auxilio, ut gratiam suam super paruum illum gregem in nomine ipsius congregatum effunderet. Deinde lecto è S. Scriptura capite aliquo, non ipse solum ambigua explicabat, vel potius magis inuoluebat: sed aliorum etiam sententias, tamquam in priuata disputatione exquirebat. Et hæc quidem sacra ista celebrandi forma aliquam diu postea in vsu fuit.

IV. Caluinus interim fertum sibi in igne esse intelligens conatus suos omni arte promouere saggebat. Quid multis: Tribus tandem è se ceteriori hoc conuenticulo pertransiit, ut doctrinam hæc nouam per Fræciam, apud eos præsertim qui aliquem Lutheranismi gustum haberent, disseminandi, & ut iactabant, miserè deceptis Pæpistis oculos aperiri prouinciam suscepere. Hoc enim nomine eos vocabant qui antiquam, & per manus ab Apostolorum que successoribus traditam Fidem sequuntur. Consilio ergo habito decretum fuit, ut Vernouius Pictauij & in vicino agro animas lucrificeret, vel perderet potius: dum reliqui in longinquioribus locis venantur. Ad sumtus vero eam in rem modicum pecuniæ collectum fuit. Duo illi ut securitati suæ consulere, noua sibi nomina (vri mos ferè est sectarijs) sumserunt. Eorum vnus *Lebon homme*, id est, Bonus vir; alter *Ramasseur*, id

est, dispersi gregis recollector dici voluit. Et ille quidem passim oberrans, in conuenticulis tam præces, quam Manducationem ad nouam illam formam, quæ à viro illo Dei, ut iactabat, tradita erat, celebrabat. Et quia hic antea in Pictaviensi Academia Institutiones in Ministraria (sic tum Iuris illud Auditorium vocabatur) prælegerat, Caluinus & alij vix eum alio quam Ministri nomine appellabant: ex quo factum puto, ut Calviniana sectæ disseminatores & nouæ doctrinæ Prædicatores, Ministri dici cœperint, & adhuc dicantur. Sed hæc de re alibi latius. Recollector ille viginti fere annos in colligendis, vel ut verius dicam, dispergendis Christi ouibus consumpsit: & quamuis homo esset pæne illiteratus, atque ineptus, quoties tamen in Ecclesiasticos inuehebatur, tamquam Pericles aliquis tonare & fulgurare videbatur. Caluinum in omni sermone iactabat, & scripta quædam eius nõ secus ac Sibyllinos libros essentabat. Hi tres, ut Victor Caierus inquit, Caluini mandatorum fuere exsequutores, Galia perturbatores, & primi schismatis auctores. Ecce tibi eorum maiores, qui Mundi Reformatores audire volunt. Quid agitis miseri Theristæ atque Iri? An Aiactis & Achillis similes esse vultis? Quid vos, qui heri atque hodie tamquã fungi nati estis, genealogiam vestram ex alto repetitis, & ad ipsos Apostolos referitis? Sed recte habet. Infamis vestræ originis testem victorem Caierum habemus, eum qui celebris olim inter vos conuicator fuit, quem vestrum olim tantis ornastis laudibus, nunc nostrum omnibus modis infamare conamini: illum, inquam, qui nouit quinam vos sitis, & vnde sitis, cui denique vestra omnia satis superque nota sunt atque explorata. Scio equidem quid vobis doleat: nempe hunc exquisitæ eruditionis hominem totum in eo esse, ut quæ tam exemplo quã doctrina olim destruxit, nunc restauret. Hic de Recollectore hoc vestro loquens, ait, eum pagos & villas per Pictonas, Santonas & Engolismensem agrum obijisse, nec quidquam intentatum reliquisset. At Bonus ille vir, de Caluini Consilio, in Tolosana vrbe latibulum sibi quæsivit, non ignarus eò ad capiendum ingenij cultum à Nobilitate liberos magno numero mitteri. In hac certe Vniuersitate ab ijs qui emergere cupiunt, prima fere dignitatum fundamenta iaciuntur.

V. Vernouius, quia notior erat quam ut diu latere possset, Pictauij mansit, ut inter Academicam iuuentutem, ad credendum parua facilem, & no-

narum rerum cupidam, doctrinæ suæ zizaniam disseminaret. Tam hic vero quam reliqui illud in primis agebant, ut Professores & Rectores iuuenturis ad suas partes adiungerent; nō ignari, quemadmodum prostrato imperatore facili plerumque est victoria; sic his veluti iuuenturis deuictis ducibus, facile gregarios illos milites ductū illorum & auspiciā sequi solitos, manus quoque præbituros. Et quidem ille quem Boni viri nomē assumpsisse diximus, Aginni, quod oppidum prima mihi cunabula præbuit, Rectorem quendam scholasticæ iuuenturis Sarrafinum nomine, suarum partium obtrusit, qui primus Caluinismum ibi, licet recte, docuit. Eimox succenturiatus fuit eiusdem conditionis homo, Vindocinus nomine: qui primus in prædicto oppido ob hæresin vetricibus flammis vstulatus fuit. Mox huc illuc alij circummissi sunt, in Aquitania præsertim, Andreas Melanchthon Germanus Toninum; Andreas Caruius Atrebatensis Villam nouam, sub scholastici magistri habitu theologi seu Ministri munus exercens; Andreas de la Voye Picardus ad fanum S. Fidei; alij alio. Possem equidem plurimum eiusmodi hominum nomina hoc loco citare; sed duos illos commemorasse mihi sufficit, ut tam Caluini quam ab ipso missorū Apostolorum fraus & astutia, tanto melius appareat, ut qui hac potissimum ratione, corruptis nimirum præceptoribus, perniciosæ suæ doctrinæ virus scholasticæ iuuentuti instillare saregerunt, Memini Burdigalæ ex horum numero, sed inferioris subelli Pædagogum aliquem, Valesium nomine, consuetudinem illam qua initio lectionis cruce se quisque signare solebat, tamquam ineptam & simiis potius convenientem irritasse; deinde priuatim capita quædam nouæ religionis, veluti per ludum & iocum inculcasse. Qua arte quid mirum si animos nostros adhuc tenellos facile subegerit? nam

Quo semel est imbuta recens, seruat odor
Testa diu.

Quemadmodum videmus, ea quæ prima animis pueritiæ impressa sunt, difficilime vbi vel paullulum radices egerint, euelli. Vt enim oculi maligni vel aspectus quoque ad ipsum infantium cor facile penetrat, eique virus quodammodo affundit; sic teneri iuuenturis animi hæreseos a conito facile intoxicantur, nisi bonis remedijs præseruariis, ut vocant, & in primis impenetrabili illo quem

Polybius Cordis custodem appellat, lapide muniti sint. Et hoc quidem modo, ut ad propositum redeam, à Caluino missi Mercurij in duabus illis Academicis, Tolosana scilicet & Pictauiensi, plurimum damni dederunt. Quid vero hoc mirum in iuuenibus, quibus sanguis calet, & animus futuri improuidus & periculi securus, cæca tam nouarum rerum quam falsæ libertatis cupiditate flagrat? Quid gratius his prædicari poterat, quam à carniū esu etiam diebus vetricis non abstinendū, non ieiunandum, non peccatorum exomologesia apud sacerdotem esse faciendam? Et alioqui ita comparatum est, ut noua etiam quæcumque magis placeant quam vstata. Quocirca minus miror, non paucos noua hæc dogmata ita mordicus fuisse amplexos, ut etiam imberbes fere adhuc tam corporis quam animæ iacturam facere maluerint quam hæresi renunciare. Adeo scilicet peruersus ille spiritus animos illos teneros fascinauerat. Et hi quidem, ut est ætas illa, vbi semel frænos ruperit, ad quidvis audendū proiecta, primi famosos contra Ecclesiam libellos templorum valuis affixerunt, feres effregerunt, statuas deiecerunt, baptisteria foedissime conspurcarunt, mille denique insolentias; noctu præsertim, vel sacrilegia potius, commiserunt. Crescente indies furiosorum hominum numero conuentus haberi publice cœpit, & Ministri quidam electi sunt, qui verbum Dei, quod nūquam didicerant, docerent. Decretum etiam, ne cui scholarium, qui Veritatis cognitionem haberet (huius enim prætextu tamquam clypeo utebatur) sine Ministrorum licentiâ domum discedere liceret, ut ipsorum restantur Historiæ. Discedentes vero ab ipsis copiose instruebantur, quomodo domi & alibi passim se gerere, & quas diuini verbi amplificandi rationes inire deberent.

Ne vero necessaria ad hanc rem deessent subsidia, multis libellis partim contra Ecclesiasticos diffamatorijs, partim formulas quasdam præcandi & nouæ fidei capita continentibus, emissarij illi instructi fuerunt. Francisci I. enim & Henrici II. temporibus libelli illi Catechistici, qui postea regnante Francisco II. tanto numero in publicum euolarunt, clanculum tantum circumferebantur. Dici vero vix potest, quam late pestis hæc inter Gallicam iuuentutem per totum ferè regnum breui tempore prospersit, alijs alios inficientibus, dum quisque nouæ illius religionis secreta explicari conatur. Videre erat passim textores, sutores, sartores, fullones, institores, vel clam vel palam etiam